tionem procedendum est cum distinctione. Si enim pestis est inter religiosos, & in Monasterio, tenetur religiosus obedire Prælato suo præcipienti, ut ministret infirmis suæ religionis, tam temporalia, quàm spiritualia, ad salutem corporis, & animæ necessaria. Ratio est: quia religiosos præstare sibi invicem mutua hæc ministeria, & pietatis ob sequia, ad conservationem religionis spectantia, concernit regulam, quam professi sunt, & ideò tenentur ad ea etiam cum vitæ periculo: sicut tenentur cum eodem periculo milites in bello præliari: quoniam hoc vitæ periculum concomitanter se habet ad opus, quod per se præcipitur, scilicet servitium infirmorum: quod si hoc verificatur de regularibus in communi, ut docent *Cajetanus*, *Rodriquez*, *Sanchez*, *Lezana*, & Alii communiter apud *Mastrium cit. num.* 27. tantò magis in Fratribus Minoribus verificari debet: qui circa curam Fratrum infirmorum habent in regula singulare præceptum. Si verò pestis sævit in sæculo, & extra ordinem, non tenetur regulariter, & per se religiosus obedire Prælato suo, ut ministret infirmis extraneis cum periculo vitæ. Ratio est: quia religiosum servire infirmis extraneis cum periculo vitæ, non est secundùm regulam, sed supra illam. Dixi; *regulariter*, & *per se*: quia per accidens, & in casu, quo deessent Parochi qui infirmis Sacramenta ministraret, vel qui ob multitudinem infirmorum non sufficerent, tunc teneretur religiosus obedire, & Sacramenta extraneis ministrare. Ratio est: Quia religiosi, præsertim, Mendicantes, & alii, quorum institutum est saluti proximorum incumbere, sunt Episcoporum, Parochorum coadjutores in salute proximorum procuranda, & ob id fidelium eleemosynis substentantur. Ita *Mastrius cit.* cum Doctoribus citatis, qui ob easdem rationes idem asserit de tempore hæresis, quæ est pestis animæ spiritualis, scilicet religiosos teneri obedire Prælato suo præcipienti, ut assistant alicui loco, ad prædicandam, & contra Hæreticor defendendam Catholicam fidem, etiam eum periculo vitæ. Ex his omnibus.

174 IV. Colligitur, *religionem S. P. N. Francisci*, in tanto perfectionis gradu observantiam præscribere trium votorum substantialium, ut gradus perfectior dari vix possit. Enim verò *Obedientia* in ea usque eò vovetur, ut non tantùm in iis, quæ expressè præcipiuntur in regula, sed etiam in omnibus aliis sine ulla exceptione obedire teneatur Franciscanus, nisi aliquid præcipiatur, quod est contra Deum aut peccaminosum, vel positive contra regulam: uti patet *ex cap.* 10. *regulæ*, ibi: *Præcipio firmiter eis, ut obediant suis Ministris* (id est, Superioribus, quos S. Pater appellat Ministros) in omnibus, quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ suæ, & regulæ nostræ. Ut proin illud *D. Bernardi* locum non habeat in religione Franciscana: *nihil mihi præcipiat Prælatus, quid non vovi*: uti rectè notat P. Patritius Sporer supracit. Votum *Paupertatis* non tantùm in particulari, sed etiam in communi consequenter in summo gradu in ea emittitur, quod nulla alia religio habet teste ipso Concilio Tridentino *sess.* 25. *de regularibus cap.* 3. *Votum Castitatis* in tanto perfectionis gradu vovetur, ut non tantùm omnem in & externam impudicitiam, & quodvis ejus periculum, sed insuper omnem etsi non malam, sed indifferentem, vel etiam de se bonam conversationem mulierum, suspectam tamen, vi regulæ vitare sub peccato gravi teneatur quivis hujus S. Religionis professus. Quid verò ex his omnibus sequatur, relinquo aliis faciendam consequentiam.

QUÆSTIO III.

De Religiosis assumptis ad Cardinalatum vel Episcopatum. Item de transeuntibus ad aliam Religionem: item de ejectis, fugitivis, ac Apostatis.

SUMMARIUM.

166 *Papa potest dispensare in votis solemnibus.*
167 *Tamen religiosus factus Cardinalis, vel Episcopus iisdem votis adhuc obligatur.*
168 *Imò tenetur portare habitum suæ Religionis.*
169 *Licèt non obligetur ad alia regulæ præcepta.*
170 *Potest Religiosus Professus in una religione transire ad aliam.*
171 & seq. *Si concurrant certæ conditiones.*
174 *An sit consultum, ab una religione transire ad aliam?*
173 *Potest religiosus validè professus ab Ordine expelli ob justam causam, scilicet incorrigibilitatem.*
176 *Quis sit incorrigibilis?*
177 & 178 *Quis possit talem expellere?*
179 *Ad quid teneatur expulsus, seu ejectus?*
180 *Quis sit religiosus fugitivus?*
181 *Quis Apostat?*
182 *Ad quid teneantur fugitivis, & Apostatæ;*
283 & 184 *Quæ sint eorum pœnæ?*
185 *Quæ actiones Religiosi sint specialiter prohibita?*

ASSERTIO III.

165 R*Eligiosus ad Cardinalatum, vel Episcopatum extra Ordinem assumptus manet adhuc verus religiosus, ac proinde votis essentialibus suæ religionis adstrictus; religiosus Professus, quantum est de Jure communi, potest de una Religione ad aliam transire, si requisitæ de Jure concurrant conditiones: religiosus legitimè professus potest ex Ordine expelli legitima de causa, quæ hodie sola est incorrigibilitas. Religiosi fugitivi, & Apostatæ tenentur non tantùm ad tria vota substantialia, sed etiam ad omnes alias constitutiones regulares sub peccato obligantes.* Est communissima Doctrina apud Auctores citandos.

§. I. *Religiosus factus Cardinalis, vel Episcopus.*

166 I. SUmmum Pontificem dispensare posse in voto solemni Religionis, ac professione religiosa, negant Thomistæ communiter cum D. Thoma 2.2. *quæst.* 88. *art.* 2. Affirmat tamen Scotus in 4. *d.* 38. *quæst. unic.* & cum eo Alii omnes extra Scolam Thomisticam, Summum Pontificem ex justa causa respiciente bonum commune alicujus Regni, & Reipublicæ posse dispensare in voto solemni religionis. Ita cum nostro Doctore Subtili Scotistæ omnes, & Cajetanus etiam ex Thomistis 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. Sanchez, Coninch, Lessius, Reginaldus, Bonacina, Hurtadus, Azorius, & Alii passim apud nostrum Mastrium *Theol. Mor. disp.* 20. *quæst.* 5. *art.* 4. *num.* 116. Ratio est: Tum quia defacto Summi Pontifices non semel dispensarunt in votis solemnibus religionis; exempla videri possunt apud *Mastrium cit.* Tum quia Sumus Pontifex potest dispensare in votis simplicibus; ergo etiam, saltem ipse, poterit dispensare in votis solemnibus cùm voti solemnitas sit Juris solùm Ecclesiastici, uti benè probat P. Patritius Sporer *Theol. Sacrament. part.* 4. *cap.* 1. *sect.* 1. *num.* 41. in quo utique Papa dispensare potest. Licèt enim professio Religiosa obliget jure naturali, & Divino, in quibus Pontifex nequit directè, formaliter, & propriè dispensare, ut diximus *capite præcedenti sect.* 2. *num.* 64. potest tamen in eis dispensare indirectè, materialiter, & impropriè, ut diximus loc. cit. & sic corruit fundamentum Thomistarum, dicentium; ideò Papam non posse dispensare in professione religiosa, quia obligat Jure Divino, & naturali.

167 II. Quamvis ergo Papa de absoluta sua potentia dispensari possit in votis religionis solemnibus, per hoc tamen præcisè, quòd aliquem religiosum assumat ad Cardinalatum, vel Episcopatum, non dispensat cum ipso in iisdem, sed talis religiosus manet verus religiosus, & proinde votis essentialibus religionis obstrictus. Hoc colligitur ex Glossa *cap.* 3. 16. *quæst.* 1. *&c. unico*, 18. *quæst.* 1. Rationem assignat D. Thoma 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8. Quia dispositio ad aliquam perfectionem, ipsa adveniente non tollitur, sed status religiosus ad hujusmodi dignitates comparatur, sicut dispositio ad perfectionem: ergo advenientibus istis non tollitur status religiosus, & consequenter cum tali religioso in prædictis votis non dispensatur, licèt quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientiæ exemptus censeatur. Et quidem de *Voto Castitatis* nullum est dubium nam in religioso ad Episcopatum promoto magis obligat, eo quòd per dignitatem Episcopalem magis fiat Deo dedicatus & consecratus. Quoad *Votum Obedientiæ*, licèt non manet in religioso fasto Episcopo, sicut erat anteà, manet tamen respectu Summi Pontificis; ita ut ultra obligationem, quam habent generaliter omnes fideles, ac alii Cardinales, & Episcopi ad obediendum illi, teneatur religiosus factus Episcopus ex vi voti obedientiæ in professione religiosa emissi illi specialiter obedire. Quoad *Votum paupertatis* autem, licèt eo obstrictus maneat, quia per supradictas dignitates non confertur illi Dominium bonorum Ecclesiasticorum, sed solùm eorum administratio ex voluntate Papæ quod voto paupertatis non repugnat, potest tamen de illis disponere inter vivos de sui Episcopatus redditibus, eo modo, quo Episcopus sæcularis: unde potest de illis disponere ad moderatam sui, & familiæ sustentationem secundùm decentiam status, ad pia opera, Eleemosynas, & cætera. Ratio est: Quia licet Religiosus fa-

factus Episcopus non habeat Dominium suorum redditum, habet tamen dependenter à voluntate Pontificis liberam illorum administrationem in honestos, & pios usus. Hæc est communior, & probabilior opinio, quam docent cum D. Thoma citato, Suarez, Henriquez, Sanchez, Layman Lessius, Molina, & Alii passim, ut videre est apud nostrum Mastrium *Theol. Moral. disput.* 14. *quæst.* 1. *art.* 2. *numero* 17.

168 III. Ex quibus infert *Mastrius cit. nu.* 19. Religiosum factum Episcopum teneri ex præcepto portare habitum suæ Religionis, qui est signum obligationis ad vota Regularia. Ratio est: Quia obligatio portandi illum non est ex solo mandato Regulæ, aut Constitutionum, sed ex jure Canonico, *cap. penul. fin. de vita, & honest. Clericorum*: etsi quoad figuram habitus Episcopis sæcularibus se conformare possit, retento solùm colore habitus suæ religionis, ut Clemens VIII. concessit in Rituali Romano reformato: non tamen subjacet censuris, aut pœnis à sua religione contra transgressores votorum, aut Regulæ latis: quia non ampliùs manet sub Jurisdictione religionis, aut Prælatorum ipsius.

169 IV. Quod attinet alia regulæ præcepta, Religiosus factus Episcopus ex obligatione Moralis honestatis ea observare debet, quæ ipsius munus non impediunt, & Officium Pontificale, ejusmodi sunt solitudo, silentium, aut vigiliæ graves. quibus impotens redderetur ad illud exequendum. Hæc tamen obligatio est solùm secundùm decentiam non obligans ad culpam, vel pœnam: quia Religiosus factus Cardinalis, aut Episcopus extra Ordinem, liberatur, & eximitur à jugo Religionis, *cap. unic.* 18. *quæst.* 1. Ita DD. citati. Exemplar, & speculum Religiosorum, qui fiunt, Episcopi, fuit noster *S. Ludovicus* filius Caroli II. Regis Siciliæ, qui relicto regno, quod sibi hæreditaria successione debebatur, factus Franciscanus, à Bonifacio VIII. ad Episcopatum Tolosanum promotus est, prout legere est in ejus vita in nostris Chronicis Seraphicis.

§. II. *Religiosus transiens ab una Religione ad aliam.*

170 CErtum est de Jure communi, posse Religiosum professum de una Religione ad aliam transire, si requisitæ de jure conditiones concurrant. *Omnes*, ob clara jura *c. licèt*, 18. *de Regularibus*, & *transeuntibus &c.* quod etiam intellige de Monialibus, textu expresso *Can.* 1. *causa.* 20. *quæst.* 4. ibi; *Virgines Sacræ, si lucro animæ suæ propter strictiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, concedit Synodus*. Ut autem transitus licitè fiat, requiruntur sequentes conditiones.

11 I. Ut non fiat ex inconstantia, levitate, temeritate, ira, vel passione inordinata, sed ex sancta intentione, verb. gr. ex zelo majoris perfectionis. Ita Sanchez *lib.* 6. *Moralium, c.* 17 Fagnanus, eoque teste omnes apud Reiffenstuel *in* 3. *decret. tit.* 31. *n.* 262. Item requiritur, ut fiat transitus ad ordinem strictiorem. Ita Rodriq. *t.* 3. *q.* 52. *art.* 4. Sanch. Abbas, Pirrhing, Fagnanus, Miranda, & Alii apud *cit. Reiffenstuel, num.* 263. quem vide. Ex quo colligitur, nulli ex Ordine nostro Seraphico licere ad aliam quamcunque Religionem transire juxta constitutionem Julii II. Tum quia si non aliis perfectior, saltem in perfectione nulli est secunda juxta *numer.* 164. Tum quia rigidior, & asperior, est quavis alia prout post S. Bonaventuram, & Cordubam docet, & probat Miranda *Tom.* 1. *quæst.* 31. *art.* 11. patetque *ex cap.* 2. ipsius regulæ à DEO dictatæ, ubi de professis dicitur: *nullo modo*,) consequenter nec per transitum *ad aliam Religionem licebit eis de ipsa Religione exire*. Ratio additur: *Quia secundùm sanctum Evangelium, nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retrò, aptus est regno DEI.*

172 II. Requiritur, ut non fiat cum gravi jactura temporali, vel infamia primæ Religionis. Ita communis *ex c. licèt, de Regular*, ibi: *ne in jacturam, vel injuriam sui Ordinis*. Ratio est: Quia communis utilitas speciali utilitati præfertur, nec quisquam debet esse lapis offensionis, & scandali. Item requiritur, ut transire volens sit subditus, & non Superior aliquis, vel Prælatus: Quia talis sine expressa licentia Papæ ad aliam Religionem transire nequit juxta communem *ex cap. licèt §. si verò de Regularibus*: ibi: *illa semper regula inviolabiliter observata. ut nullus absque licentia Romani Pontificis præsumat occasione quacunque deserere Præsulatum*. Item requiritur, ut Religio, à qua fit transitus, non habeat privilegium, vi cujus prohibetur ad aliam Religionem transire. Cujusmodi privilegium hodiè fermè omnes paucis exceptis habent.

173 III. Requiritur, ut transire volens priùs à Superiore petat licentiam transeundi ad aliam religionem: quamvis necessariò non requiratur, ut sit obtenta. Communis *apud Reiffenstuel cit num.* 267. *ex cap. licèt, de regularibus*. Item requiritur, ut antequàm fiat transitus, & licentia concedatur ad eundem, Superiori constet, an aliqua, & quæ religio strictior parata sit transire volentem suscipere: priùs enim discedens tractatur ut Apostata. Ita Fagnanus, Abbas, Innocentius apud Reiffenstuel *citat. numer.* 272. qui dicit ita esse declaratum à S. Congregatione, declarationemque in terminis formalibus refert. Denique requiritur, antequàm in strictiori religione recipiatur transiens priùs exhibeat litteras dimissorias Superioris prioris religionis. Ita Doctores citati, quos vide apud *Reiffenstuel cit. num.* 273.

174 IV. Num expediat à religione minùs stricta transire ad strictiorem, sub Judice lis est. Communis est responsio, quòd regulariter loquendo, nec transire, nec transeuntes recipere expediat, neque utile, nec laudabile sit, nisi gravis urgeat causa. Quia juxta concilium Apostoli 1. *Corinth.* 7. *quivis in vocatione, qua vocatus est, permaneat*. Nihilominùs, quando notabilis speratur utilitas spiritualis, vel magna urget ratio, aut necessitas &c. laudabile, & sanctum est, à minùs stricta ad strictiorem transire religionem. Ita Doctores citati cum communi, & certa aliorum ex *c. licèt cit.* Et probatur Exemplo *ter mirabilis S. Antonii de Padua*, qui à minùs stricta, (cæteroquin tamen sancta) religione S. Augustini Canonicorum regularium, cum subsecuta maxima ipsius, & totius Ecclesiæ utilitate transit ad strictiorem Religionem nostram Seraphicam.

§. III. *Religiosus ab Ordine Ejectus.*

175 I. CErtum est posse religiosum etiam validè professum legitima de causa ab Ordine expelli, juxta unanimem DD. patetque clarè ex jure *can. resecandæ* 16. *causa* 24. *quæst.* 3. *can. illud sanè* 34. *eadem causa, & quæst. cap. fin. de statu Monach.* ibi: *Ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat sanas oves*. Quamvis autem olim ob varias causas ab Ordine expelli potuerit professus, tamen hodie nullus ejici potest, nisi sit verè incorrigibilis: idque certum est ob novum Decretum S. Congregationis Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum, jussu Urbani Octavi emanatum 21. *Septembris* 1624. quod incipit; *S. Congregatio*, & reperitur *in tom.* 4. *Bullar. cherub. constit.* 28. dicti Pontificis, ubi §. 6. ita statuitur: *Ut imposterùm à Religionibus nullus legitimè professus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis. Verè autem incorrigibilis* (subjungitur ibidem) *minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cujuscunque religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis; verùm etiam unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus: proinde religio habeat privatos carceres in qualibet saltem Provincia.*

176 II. Ut autem de jure communi quis dicatur incorrigibilis in Ordine ad ejectionem, ordinariè plura requiruntur, & quidem. I. Ut delictum sit grave, juxta *omnes*: quia ejectio est pœna gravis: ergo debet supponere culpam gravem. II. Ut delictum sit publicum non tantùm inter Fratres, sed etiam Sæculares, ita ut sine infamiæ nota retineri in Ordine facile non possit. Ita Doctor noster Seraphicus S. Bonaventura *in quæst. super regulam Fratrum Minorum quæst.* 14. Portel. Miranda, Pirrhing, Rodriquez, Sanchez apud Reiffenstuel *cit. num.* 229. Rationem assignat D. Bonaventura, ut evitetur scandalum, & ne, si ejiciatur ob occulta delicta, videatur injustè ejectus, aut ejus peccatum propaletur injustè, quod utrumque illicitum est. III. Requiritur, ut priùs ter fuerit correctus, admonitus, & punitus, juxta DD. citatos. IV. Ex novissimo Decreto Urbani VIII. relato numero præcedente necesse est, ut prius *unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus*.

178 III. Ex quo decreto Urbani VIII. pariter constat, incorrigibiles posse è religione ejici *ab ipsomet Generali tantum de consilio, & assensu sex Patrum ex gravioribus religionis, eligendis in singulis capitulis, seu Congregationibus Generalibus, tumque nonnisi instructo secundum eorum stylum, & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum canonum præscriptum.*

179 Idem Decretum §. 8. sic ait: *cæterum S. congregatio religionum Superiores seriò admonet, ac JESU Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quàm profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum suorum delapsas, antequàm gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur.*

IV. Itaque justè ob incorrigibilitatem *ejecti*, *quamdiù non redierint ad Religionem*, *in habitu clericali* (sæculari, non ordinis) *incedere debent*, *atque Ordinarii loci Jurisdictioni*, *& obedientiæ jubesse*; *proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur*. Ita expressè verba Decreti Urbani VIII. mox citati. Insuper ejecti manent adhuc Religiosi subditi, & suo modo tenentur ad tria vota substantialia, atque ad præcepta, statuta, & constitutiones Regulares, verbi gratia ad Jejunia, horas Canonicas &c. & universaliter ad cuncta, quæ sub peccato obligant, & extra Ordinem ab eis servari possunt. Ita Miranda, Rodriquez, Portel. Donatus, Pellizarius apud Reiffenstuel *cit. num.* 242. Ratio est: tum quia nemo ex delicto suo debet reportare commodum, *arg. c. agnoscentes de constit.* Tum quia Religio, dum ejicit professum, non intendit eum liberare ab obligationibus Regulæ, & votorum, sed tantùm providere bono communi Religionis, & evitare scandalum. Hinc ejecti tenentur se emendare, ut iterùm ad Religionem admittantur *c. fin. de Regular.*

§. IV. *Religiosus fugitivus, aut Apostata.*

280 I. *Fugitivus* propriè loquendo est ille, qui sine licentia Superiorum ad tempus è Monasterio recedit, cum animo iterùm revertendi. Ita communis DD. imò etiam hodierno Jure fugitivus est, qui sine licentia fugit è Monasterio ad Superiorem majorem, nam Concil. Trident. *Sess.* 25. *de Regul. cap.* 4. ait: *nec liceat Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu Superioribus suis accedendi; nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint: Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinario locorum tamquam desertor sui instituti puniatur.* Amplia, etiamsi ad Sedem Apostolicam pergere se dicat, uti patet ex constit. Sixti V. *Cùm de omnibus*, quæ est 71. constitutio dicti Pontificis, & Ad *Romanum spectat*, eidem constitutioni annexa *apud Cherub. Tom.* 4. in qua ultima §. 20. subjungitur quoque: *quòd si dicerent* (intelligi Religiosi) *se ad Apostolicam Sedem confugere ob gravamina à suis Superioribus sibi illata*, *& ideò ab ipsis Superioribus licentiam*, *& litteras obtinere non potuisse*, *non propterea ullo modo recipi valeant*, *nisi fide dignorum testimonio*, *de petita ab eis licentia*, *& per Superiores negata constiterit*. Cæterùm licet ex textu Conc. Trident, & Bullis citatis pro *fugitivo* haberi debeat quivis Religiosus è Conventu suo discedens, nisi licentiam *in scriptis* exhibeat, tamen hoc limitatur in casu, quo *discedens ita cognitus sit iis*, *ad quos diverterit*, *ut de ejus Persona nullus omnino dubitationi*, *aut suspicioni locus relinquatur*: prout expressè limitat ipse Sixtus V. in citatis Bullis, *cùm de omnibus*, *& ad Romanum spectat*.

281 II. *Apostata* propriè loquendo est, qui à Monasterio, vel Religione discedit, animo totaliter deserendi Ordinem, & non ampliùs ad illum redeundi; nec refert, an cum, vel sine habitu discedat. Ita Sanchez *lib.* 6. *Moral. cap.* 8. *nu.* 2. Pellizarius *Tom.* 2. *tr.* 8. *c.* 8. *n.* 43. Rodriquez *Tom.* 1. *qu.* 30. *art.* 1. Pirrhing. Reiffenstuel, & Alii. Patetque ex Decreto Clementis VIII. de Reservatione Casum, ubi Apostasiam vocat, & reservat, sive habitu retento, sive dimisso fiat. Dictum est: *Apostata propriè*, quia impropriè & minùs strictè loquendo etiam *fugitivi* pro Apostatis habentur, & ut tales tractantur, & puniuntur, in nostris statutis Generalibus, *cap.* 6. §. 20. *de Apostatis*.

282 III. Fugitivi, & Apostatæ tenentur non tantùm ad tria vota substantialia, sed etiam ad omnes alias constitutiones Regulares sub peccato obligantes. Est certa. Ratio est: quia nullo titulo, & Jure ab aliquo dictarum obligationum sunt exempti: nec seipsos iniquè discedendo eximere valent. Tenentur insuper sub peccato mortali, sine mora redire ita ut semper, & tamdiù versentur in statu peccati mortalis, donec redeant.

283 IV. Quantùm ad pœnas fugitivorum, & Apostatarum, si habitu dimisso discedant, sunt ipso facto excommunicati. Ita communis apud Reiffentuel *cit. num.* 253. & patet clarè *ex c. ut periculosa* 2. *Ne Clerici*, *vel Monachi*. Si verò habitu retento fugiant, aut apostatent, licèt de jure antiquo communi ipso facto non sint excommunicati (*nisi post discessum*, *habitum animo vagandi vel apostatandi dimittant*, uti docet Hyacinthus Donatus *tom.* 1. *tr.* 6. *q.* 6. & Alii) tamen vi Juris specialis, & specialium Privilegiorum fermè cujusvis Religionis professus *fugitivus*, *vel Apostata*, sive habitu retento, sive dimisso excommunicationem ipso facto incurrit. Ita Hyacinthus Donatus *tom.* 1. *tr.* 7. *quæst.* 25. Præter alias pœnas de jure communi etiam sequentes incurrunt Apostatæ. I. Quòd suscipiens in Apostasia Ordinem sit suspensus, *c. de Apostatis*. II. Apostatæ sunt irregulares, *c. cùm illorum*, *de sentent. excomm.* III. Quamdiù manent in Apostasia, non gaudent Privilegiis Religionis ex Concili Tridentino *sess.* 25. *de Regular. cap.* 19. *&c.*

Ut igitur fugitivi, & Apostatæ iterùm reducantur ad Re- 284
ligionem, quam deseruerunt, competit Religioni, & Superioribus ejus potestas apprehendendi, & puniendi Apostatas, vel fugitivos, ubicunque etiam extra territorium eos deprehenderint, invocato quoque, si opus sit, brachio sæculari. Rodriquez *Tom.* 1. *quæst.* 30. *n.* 6. Miranda *t.* 1. *qu.* 51. *art.* 3. Pellizarius, Hyacinthus Donatus, apud Reiffenstuel *cit. num.* 258. Imò Superiores Religionum tenentur Fugitivos, & Apostatas conquirere, & revocare eosque, vel sponte, vel coactè venientes recipere, juxta *cap. fin. de Regular.*

Petes. *Quæ officia*, *& actiones specializer prohibeantur Religiosis?*

Respondeo cum Claudio la Croix *lib.* 4. *numer.* 170. Reli- 285
giosus non potest esse Iudex negotii sæcularis, aut Ecclesiastici, nisi cum licentia Superioris saltem localis, & utilitate saltem indirecta Monasterii, *ex c.* 35. *Monachi*, 16. *qu.* 1. Similiter non potest nomine proprio in Civilibus esse actor, vel reus, cùm nec agere, nec conveniri possit, sed solùm Monasterium, cui se dedit: utì habent Iura, & DD. cum Castro-Palao *tr.* 16. *d.* 4. *p.* 12. §. 2. Nec fungi potest officio Advocati, Procuratoris, Tabellionis, testis, exceptis casibus, de quibus *Castro-Pal.* §. 3. *&* 4 Nec tutoris, aut curatoris ex cap. pervenit. *dist.* 86. *vide Castro-Pal.* §. 7. Porrò Portel. noster *in dubiis regularibus*. *V. Abbas*, *num.* 10. ait. quòd Prælati locales, absque licentia Provincialis possint dare licentiam suis subditis, ut possint esse testes, & jurare coram Judice sæculari, vel Ecclesiastico. Rodriquez *tom.* 2. *q.* 10. *art.* 4. *&* 5. Si verò subditi jurent absque licentia, testimonium valet: quidquid sit de suo peccato. Rodriquez *addit sum.* 2. *part. cap.* 151. *num.* 2, Prohibentur etiam Religiosis actiones extra judiciales, nisi Superiores dispensent: nam esse non possunt executores testamentarii. *Castro-Pal. cit. part.* 13. §. 1. Nec Medici, vel Chirurgi, præsertim, si facienda sit incisio, aut adustio. Item Religiosis sub excommunicatione prohibitum est audire in Scholis lectiones juris civilis, *ex c. fin. ne Clerici*, *vel Monachi*, Sanchez, Lezana Lug. *in resp. Moral. lib.* 4. *d.* 34. Potest tamen Religiosus audire, & docere Canones. Etiam negotiatio prohibetur Religiosis, sicut, & venatio, ac lusus alearum; talia enim, quæ Clericos, multò magis dedecent Religiosos; notantque Navarrus Valentia, Suarez, & Alii cum Castro-Pal. *cit.* §. 5. *num.* 2. nomine Clericorum venire etiam Religiosos, quando prohibitio respicit decentiam status. Ita la Croix *cit. n.* 173. Vide hac de re Sectionis primæ quæstionem primam.

QUÆSTIO IV.

De Exemptione Regularium Mendicantium.

SUMMARIUM.

187 *Regulares Mendicantes sunt exempti ab Ordinariorum Jurisdictione.*
188 *Nequeunt Episcopi ferre censuras in regulares.*
189 *Non possunt ab Episcopis Regulares Mendicantes impediri, ne mendicent.*
190 *Quid possit Episcopus circa Regulares exercentes curam animarum.*
191 *Regulares Mendicantes non ligantur Legibus Episcopalibus:*
192 *Nec tenentur accedere Synodo, nisi habeant curam animarum.*
193 *Possunt celebrare Missas in suis Ecclesiis pro libitu.*
194 *Quorum possint audire Confessiones?*
195 *Quid liceat regularibus circa faciendas Processiones?*
196 *Quid circa benedictiones, & purificationem mulierum?*
197 *An liceat in mortis periculo Regularibus administrare Viaticum, & extremam Unctionem?*
198 *Sæculares possunt in Ecclesiis regularium eligere sepulturam.*
199 *Quis possit celebrare exequias sepulti in Ecclesis regularium?*
200 *An regulares teneantur ad solutionem portionis Canonicæ Parochialis?*
201 *Tria adduntur notabilia.*
202 *Casus, in quibus Regulares subjiciuntur* [*Episcopis: Remissivè.*
203 & 204 *An regulares citati ad Episcopis teneantur comparere?*
205 *Paterna admonitio Leonis X. ad Regulares,*
206 *Sicut, & ad Episcopos.*

AS-

ASSERTIO IV.

186 *Regulares Mendicantes, eorumve Ecclesiæ, Monasteria, Oratoria, Hospitia, & Grangiæ, pro commodiori eorum gubernatione, majorique tranquillitate, & pace, auctoritate Apostolica, ab Ordinariorum Jurisdictione, sicque à lege tum Diœcesana, tum Jurisdictionis ipsorum, per diversos Romanos Pontifices exempti sunt, & immediatè Sedi Apostolicæ subjecti, exceptis certis dumtaxat casibus.* Hoc inter alios latè ostendit Emmanuel Rodriquez *to.* 2. *QQ. Regularium*, *q.* 64. *art.* 2. *& seqq.* Barbosa. *part.* 3. *de offic. & potest. Episcopi*, *allegat.* 105. *n.* 11. *&* 22. Reiffenstuel *in suo Jure Canonico in* 1. *Decret. tit.* 31. §. 4. Bernardus Sannig *in sua schola Theologia tom.* 3. *tr. de privilegiis dist.* 2. *q.* 5. Sanchez *in Consil. lib.* 6. *c.* 9. *dub.* 1. *& seqq.* Gladius la Croix *lib.* 4. *n.* 168. Herincx *de legibus*, *disp.* 3. *q.* 11. *nu.* 154. Chassaing *de privilegiis regularium*, Casarubios *in compendio privilegiorum*, Lantusca *in Theatro regularium*, Matthæucci *in Officiali Curiæ regularis*, *& Ecclesiasticæ*, *&c.* & unanimis DD.

§. I. *Regulares Mendicantes, eorumque, &c. exempti sunt ab Ordinariorum Jurisdictione.*

187 I. *Exemptionem* describunt Doctores, esse privilegium quo persona, aut locus (*en distinctio exemptionis localis*, *& personalis*) à jurisdictione ordinarii liberatur; & subtrahitur, ac Summo Pontifici immediatè subjicitur. Quo exemptionis localis, & personalis privilegio gaudere Regulares Mendicantes, patet *ex c. nimis iniqua* 16. *c. nimis prava*, 17. *de excessibus Prælatorum*. Item *Clement. unica*, *de excessibus Prælatorum*, ac etiam sæpiùs ex Concilio Tridentino. Nos Fratres Minores. & Prædicatores specialiter exemit Sixtus IV. in *mari magno Minorum*, *& Prædicatorum*, & in Bulla aurea: *Regimini universalis*, data 1474. (quæ in Bullario Cherubini inter constitutiones hujus Papæ est, sexta) aliique Summi Pontifices. Cui privilegio iidem Regulares Mendicantes non possunt renuntiare, ut tradit Sperellus *decis.* 104. *n.* 87. *& Pignatell. tom.* 10. *Consil.* 107. *n.* 2. Quia in eo nedum favor exempti consideratur, sed etiam ipsius Papæ eximentis, qui eos ab Ordinariis eximendo immediatè suæ subjecit jurisdictioni, qua à nullo invitè privari, nec potest, nec debet: à pari de Clerico, qui privilegio fori renuntiare non potest, cùm non in ipsius dumtaxat, sed in totius Cleri favorem tributum fuerit. Nomine autem *Ordinariorum*, à quorum jurisdictione Regulares Mendicantes sunt exempti, intelliguntur illi, qui jurisdictione propria solemni sunt præditi: quales sunt Episcopi, Archi-Episcopi, eorumve Vicarii, Abbates Regulares exempti, & Legati Apostolici, ut habet *Heniquez*, *Tamburinus*, *Sannig cit' Herincx cit. & alii.* Hinc.

188 II. Nequeunt Episcopi censuras in Regulares ferre, ut notavit Pignatellus *cons.* 106. *n.* 12. *apud Matthæucci in officiali Curiæ Regularis*, *v. Officialis quoad exemptionem ab Ordinarii Jurisdictione n.* 28. nisi in casibus expressis à constitutionibus Apostolicis, & nisi eis per Sacros Canones specificè concedatur, præsertim in eos, qui habent privilegia à Sede Apostolica, quòd excommunicari non possint, quæ pluribus Sedes Apostolica dedit, ut refert Lezana *tom.* 1. *c.* 11. *n.* 14. & Minoribus impertiti sunt Clemens IV. Bulla: *virtute conspicuos*, in Bullar. Cherubini *tom.* 1. *pag.* 162. & Sixtus item IV. Bulla cit. *Regimini universalis* §. 9. ibi: *Districtiùs inhibemus*, *ne quispiam absque dicta Sedis speciali commissione*, *& auctoritate in personas*, *domos*, *& loca dicti Ordinis Fratrum Minorum utpotè prorsus exempta*, *aliquam excommunicationis*, *suspensionis*; *& interdicti sententiam*, *specialiter*, *vel generaliter*, *quomodolibet promulgare*, *aut in personas*, *domos*, *& loca hujusmodi aliquam Præeminentiam*, *Superioritatem*, *& Jurisdictionem quomodo libet exercere præsumat --- cum amplissimis derogatoriis additis* §. 19. in Bullario Cherubini *to.* 1. *p.* 408. quod & Sacro Prædicatorum Ordini Bulla sequenti *in Bullar. Cherub. to.* 1. *pag.* 411. quæ etiam incipit, *Regimini universalis*, (*& vocatur mare magnum.*) idem Sixtus sub iisdem terminis concessit.

189 III. Non possunt ab Episcopis Regulares impediri, ne ostiatim mendicent, & Eleemosynas quærant de licentia suorum Superiorum, per loca Diœcesis, in qua Conventus existunt, per Decretum S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Anno 1621. videndum apud Lantuscam *in Theatro Regularium v. Eleemosyna*, Sperellum *decis.* 38. *n.* 27 Matthæucci *in officiali Curiæ Regularis v. Officialis quoad exemptionem ab ordinarii Jurisdictione*, & alios. Decretum est sequentis Tenoris: *S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum consuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quo minùs per seipsos in Diœcesibus, ubi habent Conventus, Eleemosynam quærant, sed tantum, si extra loca, ubi Monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere.* Hoc jam anteà Sixti IV. Bulla *Sacri Prædicatorum*, *& Minorum* data anno 1479. *Bullar. Cherub? to.* 1. *pag.* 432. concesserat statutis etiam in contravenientes gravibùs pœnis. Similiter S. Congregatio Concilii Trid. apud Matthæucci *cit. n.* 41. Lantuscam *cit. V. Episcopus*, censuit, *Episcopos*, *aut alios locorum Ordinarios vigore cujusvis Decreti Concilii ejusdem*, *nullam habere facultatem*, *quovis tempore*, *in Monasteriis*, *domibus*, *& Ecclesiis Regularium Exemptorum*, *quibus non imminet cura animarum personarum sæcularium*, *visitandi sacristias*, *Paramenta*, *Vasa Sacra*, *Altaria*, *& cætera hujusmodi*, *aut etiam Tabernaculum*, *seu pixidem*, *in qua SS. Eucharistiæ Sacram. asservatur*. Sic etiam Monasteria Monialium, eorumque personæ Regularibus exemptis subjectæ, ab Ordinarii visitatione sunt exemptæ, ut constat ex maribus magni Sixti V. & ex concessione S. Pii V. *etsi Mendicantium*. Ratio est: Quia sunt exemptæ à jurisdictione ordinarii: ergo etiam à visitatione, cùm hæc sit actus illius.

IV. In Ecclesiis tamen Regularium, ubi cura animarum 190
exercetur, potest Episcopus visitare illud Altare, quod est deputatum pro cura animarum, item Baptisterium, & Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, ex decisione Romana Anno 1631. 1. Aprilis emanata, quam refert Barbosa *cap.* 7. *sess.* 7. *Trident.* apud P. Bernardum Sannig. *citatum dist.* 2. *q.* 5. *n.* 7. Possunt item Episcopi visitare beneficia curata, unita quibuscunque beneficiis, & piis locis, sicut etiam personas exercentes curam animarum in Monasteriis Regularium, uti patet ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 11. *de Regularibus*. Possunt quoque Ordinarii visitare Moniales exemptas in puncto Clausuræ restaurandæ, & conservandæ, uti quoque habet Concilium Tridentinum *cit. cap.* 5. ibi; *sancta Synodus universis Episcopis sub obtestatione Divini Judicii*, *& interminatione maledictionis æternæ præcipit*, *ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis*, *ordinaria*, *in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram Sanctimonialium*, *ubi violata fuerit*, *diligenter restitui*, *& ubi inviolata est*, *conservari maximè procurent*. Ita Concilium Tridentinum *cit.* Denique licèt Episcopi, juxta Concilium Tridentinum *sess.* 22. *c.* 8. *de reform.* tamquam Sedis Apostolicæ delegati habeant jus visitandi Confraternitates Laicorum, dummodò sub immediata Regum protectione non sint, & cùm exceptio firmet Regulam in contrarium, visitare etiam possint Confraternitates existentes in Ecclesiis Regularium, ut docet Matthæucci *cit. V. Officialis quoad Confraternitates*. Tamen Altaria sita in Ecclesiis Regularium, etiamsi sint Confraternitatum, nequeunt visitare juxta *Decretum S. Congregationis Episcoporum*, *& Regularium*, 10. *Januarii*, 1641. videndum apud Lantuscam *cit. V. Altare n.* 4. Similiter apud Lantuscam *cit. V. Caputium*, nec à Nuntiis Apostolicis, nec ab Ordinariis, nec à Prælatis ordinis potest Caputium Religionis Fratrum Minorum Regularis observantiæ concedi Tertiariis, & Eremitis, ex prohibitione Urbani VIII. *cùm sicut* 1638. sub pœna carceris illud deferentibus.

§. II. *Regulares Mendicantes sunt exempti à legibus Episcopalibus, & Diœcesanis.*

I. Itta communissima DD. *in cap.* 1 *de constit.* Ratio est: 191
quia, ut inquit Papa *cap. à nobis*, *de sentent. excom. Extra Territorium Jus dicenti non paretur impunè*: sed Regulares Mendicantes, & eorum loca sunt extra Territorrium Episcoporum, ut habetur ex *cap.* 1. *de privilegiis in* 6. præterquàm in casibus à jure expressis, de quibus infrà: ergo non obligantur parere Episcopis jus dicentibus, seu leges ferentibus. Deinde Ordinarii non habent jurisdictionem in Regulares Mendicantes, ut dictum §. præced. Ergo Regulares eorum legibus non tenentur. Tertiam rationem vide *cap. præced. sect.* 3. *q.* 4. *n.* 234. ubi plura hac de re jam diximus.

II. Regulares exempti non tenentur accedere Synodo 192
nisi habeant curam animarum, ut patet *ex cap. nimis prava* 17. *de excessibus Prælatorum*. Neque subjiciuntur Decretis factis in Synodis, aut Cincilis provincialibus, ut habet Barbosa, Suarez, Sannig cit. & alii ob rationes supradictas, si tamen habeant curam animarum, tenentur accedere Synodo, & subjiciuntur decretis Synodalibus, ut habetur in Concilio Trident. *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. & c, ex ore*, *de privilegiis*. Nec Regulares exempti tenentur ad jejunia, vota à populo facta, etiam Decreto Episcopi confirmata, vel alias novas observantias, nisi adsit Decretum Papæ. Ita Bordonus, Suarez, Rodriquez *in additionibus*

ad